



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xxxv [i.e. iv]. Individuum est quid aptum inesse uni soli, deq[ue] ijs  
prædicari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



illam nomine adjectivo, concipiturque per modum adjacentis seu advenientis generi, illudque determinare ad certam speciem. Neq; committitur hic vitiosus circulus, dum genus per speciem, hæc postmodum per genus explicatur; præterquam enim, quòd id habeant correlativa, ut unum per alterum explicetur, supponit hoc loco species pro absoluto; nempe pro natura perfecta & completa, & talis fit sensus: genus prædicatur de pluribus differentibus inter se naturis perfectis & completis seu integris, sive etiam notabiliter inter se differentibus; sicque species est quid notius genere. Gratiè autem dicitur, quòd genus, utpote unum per accidens, & conflatum ex singularibus & cognitione, non queat definiri; unum enim per accidens ad summum nequit definiri, definitione explicante naturam cujusvis partis distinctè, non verò explicante naturam totius & partium, quatenus ad illud totum conducunt.

IV. INDIVIDUI, hìc fit mentio in ordine ad universalìa. Est itaq; individuum physicum idem, quod intrinsecè unum numero, seu indivisum in se, & divisum à quolibet alio.



alio. Individuum logicum, seu secundò intentionaliter sumptum, pro concreto ex natura singulari & cognitione differentiam illius individualementem aliquo saltem modo explicitè attingente, dupliciter definitur: prout respicit speciem: cui immediatè subjicitur, dicitur esse id, quod immediatè subjicitur speciei: prout respicit id, de quo prædicatur, est id, quod de uno solo aptum est prædicari. Constituitur autem natura singularis in ratione individui logici per cognitionem directam, comparata dein per cognitionem reflexam, ad se ipsam, cognoscitur esse prædicabilis, & constituitur proximè apta prædicari, & quidem prædicatione non identica, sed formali; dum enim dicitur: *hoc animal est Petrus*: adhuc diversus est significandi modus prædicatum inter & subjectum. Unde Arist. dicens: individua de nullo subjecto dici vel prædicari posse; vult, prædicari non posse prædicatione universalis, seu tanquam superiora de aliis inferioribus.

V. Potest ab omnibus individuis abstracti ratio communis individui; cùm enim